Patynski Ioannis: Acroama debitae observantiae.

ACROAMA

DEBITÆ OBSERVANTIÆ,

Perillustri & Adm̃ R̃ndo D̃no,

D. ALBERTO CASIMIRO STASZEWSKI,

In Alma Universitate Cracouiensi,

Artium Liberalium MAGISTRO,

& PHILOSOPHIÆ DOCTORI,

ECCLESIÆ CHROBERSCENSIS

PRÆPOSITO,

IPSO SOLENNI DIE

DIVI ADALBERTI

Cum Gratulatorio Musarum Applausu,

A

M. JOANNE PATYNSKI,

Philosophiæ Doctore & Professore,

Gratitudinis ergò

Venerabundo Cultu & Obsequio

ELICITUM.

Anno Triumphantis Æternæ Sapientiæ,

M.DC.LXXXVI. Die XXIII. *Aprilis.*

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

ACROAMA
DEBITÆ OBSERVANTIÆ.

SUrge, quid indignos ducis per tædia Soles?
Surge Soror Phæbi, Pieridumq; decus.
I, propero passu, curras comitante susurro
Musa: quid Elisijs candida lustra rosis
Delectas? en præstò rosis distincta Vireta
En CHROBRÎ roseo gramina flore fauent.
Non solùm Violis gaudet Parnassia rupes.
Fonte Caballino, non quoque, sola scatet.
Sunt Violæ CHROBRÎ, sunt lilia suntq; sonoræ,
Lymphæ; dùm vitreo gurgite Nida fluit.
Pluraq; si cupias fors delectantia mentem
Cernere; curre citò, visaq; cuncta refer.
Hæc vix Parnassi Præses mandauit Apollo:
Ocius intendit Cracia Musa viam.
Accelerat CHROBRUM numero stipata Nouenni
Musarum læto præueniente choro.
Non Phaëtontis equis, nec Phæbi vecta quadrigis.
Non Æthon Eous cum Pyröente Phlegon.
Sed Sonipes, qui frena ferox Spumantia mandit
Pegasus impatiens, atq; Caballus adest.
Orpheus hanc reuehit Floræ indulgente quadrigâ
Delectans illam dulcisonante lyra.
Cùmq; triumphali subsultans permeat axe.
Saxa per & scopulos tendit in arua CHROBRÎ.
Hic vbi pertingit vicina cacumina Syluæ.
Vertice de montis rura propinqua videt,
Rura Quirina super fundamine condita prisco;
Conditor huic CHROBRI Bolesilaus erat,
Arx Regalis vbi sublimibus alta columnis
Praxitelis dextrâ Dædaleâq; manu
Ædificata; sed extremæ vicina ruinæ:
Regia corrodit culmina tempus edax.
His visis; vltra tendit, tangitq; Colonos
Quos circùm campi, proxima prata iacent.
Partibus à dextris agrorum gleba referta
Cernitur, exerto semine terra suo
Hinc patitur cultum tellus, renouatur aratro;
Seminat hic, arat hic, excolit ille Vepres.

Prosilit

Proſilit vlteriùs, cernens à parte ſiniſtra
Elyſios campos, flumina, prata, greges,
Hinc horti circumuallant, hinc tecta Paterna
Circumdant varijs arboribuſq; comæ.
Tum quocunq; ſui circumfert lumina visûs,
Intenſos oculos non ſatiare valet.
Hìc pometa videt ſtillantia flore Sabino;
Hìc delectatur flumine Muſa cito.
Interea Sacris aperit ſe ſcena Viretis
Ordine ſtant violæ, purpureæq; roſæ.
Altera floret humus, circumq; vagantia latè
Candida fæcundus lilia paſcit ager.
Hìc vaſtis trepidi pendent è rupibus hædi,
Imbelles agni, præcipiteſq; Capræ.
Hinnuleiquè ſuis, paſſim dum flumina tranant;
Matreq; cùm blanda luxuriantur aquis.
Tum pingues tauri, tum cùm bobuſq; iuuenci
Currunt, percurrunt, ante, retròq; ſimul.
Cum timidis paſſim ludunt in montibus agnis
Ac ſpatiantur Oues, exſuperantq; iuga
Cætera turba ſuis diſtincta vagatur in aruis
Ludit & in pratis, luxuriatq; pecus.
Plurimus hæc circùm tacito pede labitur amnis
Pumicibuſq; cauis vndiq; Nida fluit.
Lenè fluunt riui, muſcoſis lenè ſuſurrus
Saxa per irrepens, murmurat è Scopulis.
In liquida piſces ſaliunt hilares cryſtallo;
De quorum ſaltu turbida bullit aqua.
His viſis hærens ingenti Muſa ſtupore
Plurima læta videt, gaudia corde premit.
Stat partim, partim currit, partimq; tenetur
Attonitis oculis, fronde ſuper viridi.
Pupillam mentis, cordiſq; animiq; ſereni
Delicio tanto vix ſatiare poteſt.
Hìc tepidum volucres concentibus àera mulcent
Agmine conſpicuo nil, niſi dulce ſonat.
Quæquè ſuâ volucris dulcedine temperat exta
Quæquè canit liquido gutture carmen auis
Ipſa recuruatis phyliræ ſe frondibus arbor
Flectit; & ad tantos viſa ſtupere choros.
Præcinit hos inter, ſuaues Luſcinia cantus
Plaudit Epops Cygno cum modulante dein.
Nunc Fringilla canit, Sturnus nunc pſallit, Alauda
Laudum concentus voce librante canit.

Plures quid memoro ? cunctæ cecinêre volucres.
Frondea quas viridis ſuſtinet arbor aues.
Sole ſub albenti prænuncia prodit hirundo
Et luteum celsâ ſub trabe figit opus.
Hic ſunt intactæ volucres, ſolatia ruris
Aſſuetum ripis innocuumq; genus.
Hic & apes formant mellis cum ſtirpe laborem
Florigeris herbis dulcia mella parant.
Plebs venit, ac virides paſſim diſiecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſq; ſuo.
Sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt.
Sunt, quibus è ramis frondea facta caſa.
Pars ſibi pro rigidis calamos ſtatuêre columnis
Deſuper extenſas impoſuêre togas.
Sole modò vinoq; calent annoſq; precantur;
Quot ſumunt Cyathos, ſæcula totq; bibunt.
Nunc nunc inuenies qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sybilla ſuos.
Rura per atq; Domos, agri terræq; Colonos
Proſpera læta ſonant, dulcia fauſta vbiq;
Luce repentinâ cantant, ac vociferantur ;
Et iactant faciles ad ſua verba manus
Hi ducunt poſito lætas cratere choreas
Cultaq; diffuſis ſaltat amica comis.
Sed quid tam longo paſſu mea Muſa moraris ?
Quid paruis gaudes ? (dicit Apollo Sacer)
Hæc ſunt quæq; vides auidam recreantia mentem
Parua tuæ menti ; non remorare diu,
Templi pertingas poſtes ac limina Sacra
Tum delectabis cor animumq; tuum.
Vix ea fatus erat: confeſtim Muſa recurrit
Præpropero greſſu, limina caſta pede
Calcat Virgineo ; mox mænia cernit ab extra
Illa: quibus circum uoluitur alta Domus
Pulchra loci facies quem non ſplendore moueret ?
Templum de firmo ſurgit in aſtra ſolo.
Hæc eſt altitonans Domus Omnipotentis Olympi
Quâ reſidet Sponſus, Sponſa MARIA ſimul.
Hæc Diuina Domus valido circumdata muro
Quæ binos poſtes limina bina tenet.
Inſtaurans Diuûm laudem, famamq; perennem,
Nomina MARCHIONUM tollit in aſtra ſimul.
Poplite deflexo plaudens quò Muſa ſubintrat.
Hic atq; hic oculos anteriore loco

Figit ;


Figit; & ecce videt præstò ornamenta corusca
 Splendida numinibus dona dicata Sacris.
Hìc excelsa patent altaria, Dedaleáq;
 Efformata manu, nomine digna suo.
Hìc aurum splendescit, & argentum sua poscit
 Lumina; quæq; vides digna stupore graui.
Thesauris Arabum diues, diuesq; lapillis
 Queîs addit: pretium Pactolus atq; Tagus
Zeuxis Prothogenes ostendit imagines artem
 Circumstant quouis pulchra videnda loco.
Hìc tumuli Illustres, Dinastarum monumenta
 Hìc Cineres recubant, corpora pressa solo;
Augustam quorum testantur marmora famam,
 Prædecessorum marmora sculpta nitent.
Desuper excelso postquam sua lumina figit;
 Organa multiplici voce canora videt
Victuro æternùm pulchrè fabricata labore
 Præsidet his Orpheûs cum saliente choro.
Hæc vbi Musa sagax oculis voluitq; reuoluit;
 Hìc illic tacito lumine cuncta videns.
Audit mox lætis impleri cantibus auras,
 Audit & elatos alta sub astra tonos.
Vndiq; Sacra tonant titubanti templa triumpho
 Applaudunt Cytharæ dulcisonante manu.
Pars canit, altera pars psallit, chordasq; vicissim
 Concordes facili pollice sollicitat.
Iô triumphe: canunt, repetentes Iô triumphe.
 Sæpius ingeminant Io triumphe: Iô:
Interea memori residens dùm mente retractat,
 Organa cûi tantum concinuêre melos?
Quid nam sit causæ? quæ verò Scena triumphi?
 Longo miratur tempore Musa vigil.
Dùm stupet, obtutumq; hæret defixa per vnum
 Alloquitur Socias, voce canente suas:
Dicite Pierides Vatûm Sacra numina Musæ;
 Dicite: quid valeat lux hodierna? mihi.
Quis locus? & quæ sint Solennia? promite corde.
 Cunctaq; cur gaudent? dicite: scire velim.
Desijt vt tandem coquirere Musa venusta.
 En Soror ex eius præueniente choro
Prosilit in medium: subsultans talia fatur:
 Scire cupis? à me cognita verba tene.
Diuus ADALBERTVS præuendicat omnia laudum
 In templo quæquæ lux hodierna refert.

Cum signo Tauri currit vigesima terna
Lux Aprilis Iô voce sonante canens.
ARCHIPRÆSULEUM caput hæc præconia spectant
Temporibus vernis iure colendus erat.
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum
Quem Diuus MARTYR vendicat hacq; die.
Pro populis ô Leche tuis pius arma ferebat
Septenâ cæsus cuspide! sparsit humo
Sanguineos flores vernanti tempore dignos;
Viuentis cuius florida vita fuit.
Hæc vbi dicta dedit; plausuq; excepêre frequentes
Musarum cætus cum redeunte die
Gaudent: ac memori Solennia mente reuoluunt:
Cui nam PATRONI festa renata dies?
Interea cernunt Templi gaudere Togatum
PASTOREM CHROBRI Nomine PRÆSULEO.
Hic cum scrutantur lætanteq; mente recensent.
Quis nam sit? cuius Nomine læta dies?
Conscia Calliope cum plausu cuncta reuelat.
De PASTORE Bono talia voce sonat:
Credite Castalides, quid dicam; credite Musæ;
Hic est hic: de quo dicere verba volo;
Immortale ferens Nomen, quod prouida virtus
In Iagelonıadûm struxerat Orbe diu;
Vis animi fecit summum cum Pallade docta,
Naturæ dotes continuare student.
Claruit hoc Nomen STASZEWSCI pluribus annis
Enituit Cathedris quando in Academicis.
Et nunc clarescit cunctorum in pectore fama,
Regnat Vox Cathedris, Gloria regnat, Honor
Viuit, & in Matris Regnanti Corde vigebit,
Mater Academiæ Sceptra quousq; reget.
Hunc Lechicæ Pubis semper selectus amauit.
Flos OSOLINIUS, MYSZKOVIUMQ; Decus
Et meritò: Suada illi regnat in ore venusto:
Ponit ei Fasces Tullius ante pedes.
Quippe Triumphator calamo tersissimus omni:
Victrices Laurus detulit arte suâ
Par certè auspicijs plus quam sudore Decenni
Clarus Academo, clarus in Orbe Viget.
Hanc lucem qnamuis præclara Modestia vultu
Diffugiat: sequitur perpetuò tamen hæc.
A candore eius desumpsit lumina vitæ
Lumen GONZAGÆ Thyndaridæq; Duo

Vnius

Unius & quamuis soluerunt Stamina Parcæ;
  Ille tamen viuit semper in Orbe Lechi.
Viuit IOSEPHUS, REGIS Cor, Gemma Polona
  MARCHIO sat Clarus, Cara Medulla viget.
In cuius DOCTOR viuaci corde vigebit
  Æternùm: viuet non moriente die
Ergò: qui meruit Magnatibus indole tanta
  Par fieri Præses; par quoq; PRÆSULEO
Nomine PASTORIS CHROBRI Templiq; Sacrati
  Præmia pro tanto digna labore tulit.
Hic igitur gaudens ALBERTI Nomine Sancto;
  Accumulat Votis Vota renata suis
Lætaturquè Sacri festo veniente PATRONI
  Ac applaudentes tollit in æthra manus;
His dictis tacuit: roseo tunc ore locuta
  Protinus excurrens Clio suauis ait:
Sycelides Musæ quid gaudia Nostra moramur?
  Cur non gaudemus deueniente die?
Cùm Solennis adest & nobis grata Patroni
  Lux: & ADALBERTI Festa renata Dies.
Nunc agitent placidè lætam noua gaudia mentem
  Exhilaret vultum singula quæq; suum.
Pergamus celeres, scandamus limina docta.
  PRÆSVLIS ad festum dulci sonante lyrâ
Cantemus; Nostro DOCTORI Vota vouentes,
  Tendamus celeres cum pare quæq; suâ.
Uix ea prædixit: confestim barbita tendunt.
  Tendunt PASTORIS sub noua tecta Domûs,
Munera deportant; sonat omnis murmure postis
  Jo triumphe canunt ingeminante vice:
Pars Cytharas, buxosq; capit, pars plectra tetendit,
  Pars memorat toto publica Vota polo.
Lætantûm fit dulce melos, per deuia mundi
  Cantica læta sonant, barbita blanda tonant.
Altera tangit ebur, tumq; altera Cymbala pulsat.
  Pars niueas Dotes concelebrare studet.
Pars animi cultum, tum pars extollere mores
  Gestit ouans: Voti simbola grata ferens.
Prouocat in laudes meritas hæc dulce loquendi
  Pondus; conjungit Carmen & illa suum.
Omnibus his communis honos, mens omnibus vna,
  Omnes lætifico gaudia corde vouent.
Lætior at reliquis præstans dulcedine linguæ
  Calliope, officium dedicat illa suum.

Explicat ante oculos Pastoris, Vota Sororum,
Ac ait: ô PRÆSUL Lux Tua Sacra redit,
Venit Summa Dies, Festi memorabile tempus,
Annua Lux venit cum redeunte die.
Non lacrymis signanda dies, nec carmine tristi,
Sed læto Pindi concelebranda metro.
Illa dies venit, quâ Tu dulcedine Cordis
O PRÆSUL! mentes cordaq; nostra rapis.
Affectuq; Tui captiuas pectus amicum.
Cunctos fronte Tuâ stringis in obsequium.
Ergo vota fluunt cælos ac astra fatigant.
Scandere dum possis secla beata diu.
Viue diu felix millenos viue per annos,
Delicium Musæ, Gloria viue mea;
Aurea tot numeres Illustris secula DOCTOR
Quot meruit Virtus continuata Tibi
Dulcis amor, dulcis Musarum, cara Medulla,
Nostri Flos Æui, Portio viue mea.
Tu mea vita, Decusq; meum, Tu Pars mea tota;
Dulce mihi Tecum viuere, dulce mori.
Hæc vbi concludit cordis plaudentia vota
Musa; en Parnassi cætera turba ruit;
Fautoremq; suum obsequio veneratur: amoris
Vota repræsentans ingeminante vice:
Viuat ADALBERTVS STASZEWSKI, DOCTOR, & almus
PRÆSVL; longæuus viuat in Orbe Lechi.



Permissu Magnifici Dñi RECTORIS.